

24. Similiter et lanceam consecret dicens:

Oremus.

195 *Omnipotens*¹⁴⁴ *sempiternus deus, qui es cunctorum benedictio et triumphan-*
tium fortitudo, respice propitius ad preces humilitatis nostrę et hanc lanceam
bellico usui preparatam celesti benedictione consecra, consecrando sanctifica, ut
contra adversarios ac rebelles nationes sit valida tuoque munimine circumsepta. Sitque
inimicis terribilis, in te confidentibus solidamentum et victorię certa fiducia. Tu es
 200 *enim deus, qui conteris bella et celestis presidii sperantibus in te prestas auxilium. Per.*

25. Tunc porrigat ei lanceam et dicat:

*Accipe*¹⁴⁵ *lanceam per manus nostras, qua sub fide tuos adversarios*
destruas, viduas et pupillos clementer adiuves, desolata restaures, restaurata conserves,
ulciscaris iniusta, confirmes / bene disposita, quatenus hec in agendo virtutum trium-
 205 *pbo gloriosus iusticieque cultor egregius cum mundi salvatore, cuius typum geris in*
nomine, sine fine merearis regnare. Amen.

26. Sequitur oratio:

*Deus*¹⁴⁶ *inenarrabilis auctor, mundi conditor, generis humani gubernator, pote-*
statum omnium gubernator, qui ex semine fidelis amici tui patriarchę nostri
 210 *Abrahę preelegisti principes seculis prefuturos, tu presentem principem hunc N.*
uberi benedictione locupleta et in solium principatus firma stabilitate conectę. Visita
eum sicut Moysen in rubo, Ihesu Nave in prelio, Gedeon in agro, Samuhelem in tem-
plo et illa eum benedictione perfunde, quam beatus David te donante percepit. Sis ei
contra acies inimicorum lorica, in adversis galea, in prosperis paci/entia, in protec-
 215 *tione clipeus sempiternus et presta, ut gentes et procures illi teneant fidem, custodiant*
veritatem, et ita populus sub eius dominio pullulet, ut semper tripudiantes pariter
maneant in pace victores. Per.

27. His omnibus ita peractis metropolitanus incipiat dans ei pacem:

R(espensorium):

220 *Ecce*¹⁴⁷, *constitui te hodie.*

*Benedicens*¹⁴⁸ *benedicam tibi et magnificabo nomen tuum.*

144) PRG 243 (Benedictio vexilli bellici) (VOGEL/ELZE 2 S. 378).

145) Die Übergabeformel für die Lanze ist formal entsprechend Nr. 23 konstruiert und nimmt ab Z. 203 destruas bis zum Schluß den Rest der oben in Nr. 23 verwendeten Quelle auf: PRG 72,19 (VOGEL/ELZE 1 S. 256 Z. 8-12).

146) Vgl. PRG 72, 12 (VOGEL/ELZE 1 S. 251 f.) und auch die Versionen des Gebets innerhalb der Kaiserkrönungsordines (ELZE, Ordines coronationis imperialis, Register S. 188). Die Umformulierung auf die Weihe eines Princeps ist sprachlich nicht ganz geglückt, vgl. die Wiederholung von gubernator.

147) Hier. 1, 10.

148) Gen. 12, 2.